HENDECASYLLABI
ET
ELEGIAE
D. HIERONYMI VANINETTI
C. R.
CONGREGATIONIS
DE SOMASCA.

SALODII.
MDCCLXVI.
Typis IACOBI RAGNOLI.
Superiorum Permissu.

AD LECTOREM.

FActum eſt, benigne Lector, ut in multitudine prope innumera Poetarum ego quoque prodirem, non eo quidem animo ut aliquid novi, mirificive proferrem in hoc ſcribendi genere, in quo ſentio quam ſim exiguus; ſed potius ut, & grati animi mei officium erga ampliſſimos Viros non praeterirem, quorum in me beneficia nulla unquam delebit oblivio, quorumque laudes attingere identidem ſtudui; atque etiam ut Amicorum genio indulgerem, qui me nugas meas ſaepiſſime poſtulaverunt. Id unum quam qui maxime curavi in hiſce meis Hendecaſyllabis, & Elegiis, ut Veterum exemplaribus adhaererem, ne longe ita abeſſem a loquendi candore ut, aut omnino diſſimilis, aut alia, aut prorſus mutata eſſe videretur latina loquutio, de qua ait Quintilianus: totus prope mutatus eſt ſermo. Quod ſin minus id ego fuerim conſequutus, velim memineris rem eſſe in praeſentia pene intermortuam linguam latinam; plerique enim domeſtico ſermoni ita enixe inſerviunt, ut uberrimos Maio-

rum nostrorum scientiae fontes turpiter praetermittant; quare fit, ut saepe edantur in lucem recentiores Vatum libelli vernacula eloquutione exarati, qui nihil habent praeter sonum inanem, & malitiam, redolentes impuros amores, & venenum legum sanctarum, quos, & venatur quilibet, & corripit, & intelligit, & exhaurit, & sequi, & imitari elaborat vehementer; Poetarum enim pretium, nomenque se adepturos sibi suadent quum certos quosdam numeros simul concinnaverint, concinnatosque produxerint: qua sane in re, & Poetas plurimos, & Poetrias facile est invenire. Verum enim vero ne ex aliorum vitio, & ignominia honorem mihi videar mutuari, id unum peto a te, mi Lector, ut qualescunque fuerint, hosce meos versus benigne accipias, in quibus, & poeticos lusus senties, & laudari virtutem. Atque mihi id satis superque erit, si tantum in huiusmodi facultate dicendi attigero, ut, & in benevolos magnosque Viros obsequii mei, & beneficiorum memoriam praestare possim, & satisfacere Amicorum expectationi, quam de me susceperunt.

IO-

⁂ V ⁂

IOANNI MOLINO

Cardinali Amplissimo ec. ec.

HENDECASYLLABI.

DUlces versiculi mei pusilli ,
Vos , oro , unanimes mihi favete .
Quantuncumque domi elegantiarum est
Ferte , nec lateant sales , iocique .
Vobis est adeunda clara sedes
Nostri Pontificis nitentis ostro ,
Qui regit Populos Dei Minister ,
Fulgens omnigena eruditione ,
Amor Cóenomanum omnium quot adsunt .
Advolate citi ad pedes Patroni ;
Sanctos ite pedes deosculatum ,
Et primum veniam simul rogate ,
Ne vos eiiciat velut procaces .
Quum vos viderit Is genu volutos ,
Tunc vos sic teneros , pusillulosque ,
Forsan suspiciet , loqui & iubebit .
Suffertus nitidas genas rubore ,
Demissis ad humum suis ocellis ,
Illum , ne videatur insolens , tunc
Unus prae reliquis brevis loquatur .
At tu , Parvule , quisquis es futurus ,
Qui munus subeas , sit iste sermo :
Pontifex bone , Praesulumque ocelle ,
Brixiae decus , omnium & levamen ,

 Qui

Qui purum , nitidum , integellulumque
Candorem Fidei tueris usque ;
Quem non gloria divitum Parentum ,
Sed virtus animi facit potentem ;
Tu , postquam Adriae , & omnium Quiritum
Plausus , gaudia , gratulationes
Nosti , ne renuas Pusillulorum
Plausus , gaudia , gratulationes .
Huc vix cognitus impulit Poeta
Nos accedere , quem modo actionum
Rumor perculit inclytus tuarum ;
Istos dum audiit undequaque Cives
Narrantes benefacta & hic & illic .
Addit se pariter favore laetum
Tanti Principis & fuisse , & esse ,
Quem sperat sibi (falliturne Vates ?)
At at , longius eloqui vetamur ,
Ne simus tibi garruli , procaces .
Rursus atque pedes deosculabor ,
Ne taesus nimiae loquacitatis ,
Aures mi modo vellices Pusillo ,
Atque hinc nos iubeas abire moestos .

FRANCISCO MAUROCENO

Patricio Veneto & Equiti ec. ec.

In sollemni eius publicae dignitatis applausu.

ADvolate citi , mei pusilli
Dulces hendecasyllabi Catulli :

An-

Auditis ? ſtrepit elegantiarum
Rumor Adriacas ſonans per oras .
Convenere ſimul novem ſorores ,
Cinctae tempora laureis corollis ,
Advectae ratibus vagas per undas ,
Pulſantes citharas & hic & illic ,
Certatim trepidae referre palmam ,
Quarum diſſiliens ſonorus ictus ,
Rumpit Aethera , pervenitque ad aures
Permulcens animos ſuo lepore .
Maurocene , tuos canunt honores ;
Non illos veterum modo Parentum ,
Quorum ſtant ſimulacra ſculpta magno
Aere conſita publico Senatus ,
Candiae monumenta corruentis ;
Aureae nec recinunt Stolae decorem ,
Tardi perpetuum decus Nepotis ,
Novum memnoſynon rei micantis ;
Nec belli celebres Duces triumphis ;
Nec illos quibus Imperi poteſtas ,
Rerum nec regimen quibus ſacrarum ,
Quos & Tarviſium prius , deinde
Senſit Coenomanum beata tellus
Tam ſuaviter in Gregem ſuaves .
Sed , Franciſce , tuo diem hanc celebrat
Nomini chorus impiger Sororum ,
Qui non lumina mutuaris ulla
Ex tota ſerie inclyta Parentum ,
Cui virtus comes eſt fidelis uſque ,
Inſtar ſideris inſita refulgens
Aſtris luce minoribus repanſa .

Heus ! o versiculi mei nitentes ,
Auditis ? simul optimi Poetae
Concinunt . Eritis , mei pusilli ,
Vos mihi modo negligentiores ?
Meorum ah ! resonent Pusillulorum
Plausus , gaudia , gratulationes ,
De tanto & pudeat Viro silere ,
Dum laetus crepat undequaque rumor .
Francisce , omnium ocelle Civitatum ,
Quae mirantur adhuc suum Patronum ,
Amoris memores tui paterni ,
Nolunt versiculi hic adesse , magno
Laudum pondere territi tuarum ;
Aures queis ego vellicem protervas .
Sed tu , parce , precor , tuo Poetae ,
Vix istos breviusculos calenti
Rudes versiculos ligare verbis .
Idem , oh ! quam cuperet referre posse
Res claras viridis tuae iuventae ,
Quae vento ocyor in gradus honorum
Suae transiliit stupore Gentis ,
Huc usque emerita locata sede ,
Servata in senium improbo labori .
Praesens hoc Patriae decus liceret
Saltem dicere , quod Viro micanti
Datum est omnigeno decore morum .
At at , non licet hoc rudi Poetae .
Musarum tamen insequar sonantes
Lyntres Adriaci sinus per orbes .
Sic cantus zephiri mihi reportent ,
Aure quos bibula suaviabor .

DU-

DURANTES DURANTUM

Comiti Atque Equiti ec. ec.

COnveni & Charites , novem & Sorores ,
Et quantum eſt hominum venuſtiorum ,
Quum te convenio , elegans Durantes .
Te quidem nitidum magis trecentis
Ex doctis , reor , Italis Poetis
Pro tua omnigena eruditione .
Tenes ipſe domi , atque ſunt apud te ,
Queis belle uteris , & ioci & cachinni ,
Qui gratam faciunt moram audienti ,
Et fere retinent pedes eunti ;
Titillant etenim , trahuntque ſenſus ;
Ceu iuncto pede , ceu loqui ſoluto
Malis , crede mihi , nites utroque ,
Illo quo Veteres nitent nitore .
Io , teſtes mihi ſint boni Poetae ,
Quos non livor habet malignus unquam ;
Sed norunt Charites , eaſque laudant .
Audi quo reſonent Theatra plauſu ,
Scenis dum Fabium vident reponi ,
Inclytum Fabium inclyti Durantes .
Noſti Coenomanum omnium tuorum
Plauſus , gaudia , gratulationes .
Habe proemia frontium inclytarum ,
Inſertas hederas , vagaſque lauros ;
Suo & Brixia gaudeat Durantes ,
Qui dat carmina centies & ultra ,

Docta

Docta Iupiter , & laborioſa .
Illum nec titulis modo micantem ,
Sed mira efferat alloquutione ,
Et candore animi , ingeni & decore ;
Qui dulci mage dulcis eſt liquore
Mellis , ambroſiaeque . Precabor
A Diis tibi cuncta fauſta ; at illud
In primis cupio tibi , per aevum
Ut longum iſta tua elegans , venuſta ,
Enitens varia eruditione ,
Eloquentia floreat , magiſque
Creſcat ac magis in dies , feraci
Qualis creſcit in hortulo tenella
Arbos , quam rapidum fovet per aeſtum
Lympha frigidula decora Nais .
At , quid ? crevit ut eminens cupreſſus ,
Fundens brachia floridos per agros ,
Nec ventos gelidos timet , nec aeſtum .

D. ALOYSIO MURARI

VERONENSI

Congregationis Caſſinenſis Summo Praeſidi .

VOS o verſiculi mei puſilli ,
O catulligeni boni lepores ,
Heus ! cum plauſibus elegantiiſque
Adeſte , atque Virum inclytum coronis ,
Fama & tollite carminum perenni .
Magno praefuit Is Choro Virorum ,

Qui

Qui leges Benedicti alunt , foventque
Sanctas invariabilesque , semper
Flagrantes tenero in Deum calore ,
Illo quo Superi flagrant calore ;
Exemploque micant venustiori ,
Nec non omnigeno decore morum .
Iste tam bene praefuit per annos
Iam ternos , pater ut solet benignus ,
Melle dulcior , & sapore quovis
In dulces genitos , amabilesque .
Iste honor Patriae meae Veronae :
Iste & Brixiae amor , suaeque Gentis ;
Iste delicium omnium Bonorum ,
Quot sunt , & quot erunt dein in annos .
At at , desiit imperare Praesul ,
Et sunt moestitia Boni referti ,
Quorum iam lacrymis rubent ocelli ;
Namque perpetuo velint Parentem
Hunc suo imperio sibi imperare ,
Sacrato Annulo , & Infula micantem .
Vide quot simul alloquutiones
Huc illuc trepidi ferant ubique ,
Narrantes benefacta , Praesulisque
Imperantis adhuc , suavem amorem ,
Quo nil suavius est , benigniusque .
Sed lex sic fata primulis ab annis ,
Quam delere modo haud licet cuiquam ,
Unum , quae Caput omnium praeesse
Vetat Patribus in dies perennes .
Salve , sitque tibi bene ac beate ,
Parens optime , Praesulumque ocelle ,

Quan-

Quantum omnes cupiunt , meretque virtus .
Brixia ingenii tui nitore
Sic captatur , ut in dies & horas
Singulos tibi vincias trecentis
Vinclis , atque adamantina catena .

D. ANTONIO PANIZZA
C. R. S.

PRocudo hendecasyllabum , & diserto
Et iucundo , & amabili , & nitenti
Viro : Pierides , mihi favete ,
Omnesque hendecasyllabi favete ;
Namque est Antonius mihi colendus ,
Non tam pro omnigena eruditione ,
Quam pro continua benignitate
Qua me suspicit , allicitque in horas .
Tam belle micat Is decore morum
Quantum discolor Iris assuescit ,
Colligens veneresque gratiasque ,
Et quantum est hominum venustiorum .
Tam virtute renidet undequaque ,
Quantum in Hesperidum hortulis vagantes
Flosculi , quibus emicant coronis
Nymphae per fluvios satosque colles
Sic carus nitidis suis amicis
Qualis indica gemma sit puellae .
Tractet sive palam genus loquendi ,
Et statim eloquium ebibunt Diserti ;
Sive res peragat gravis momenti ,

Domi

Domi aut quidquid adeſt laborioſum ,
Adauget decus hoc Sodalitatis ,
Virorum egregiæ Sodalitatis .
Quare ipſi hendecaſyllabum dicabo ,
Meum hunc hendecaſyllabum puſillum ,
Quem precabor ego novem Sorores
Enixe , ut faciant perennem in aevum .

DD. MARCO , ET FRANCISCO

CAPPELLO FRATRIBUS

FRatres doctiloqui , bonique Fratres ,
Fratres , Pieridum decus Sororum ,
Vos o Coenomanum decorque amorque ,
Valete , & valeant ſales iocique
Omnes innumerabiles , ſuaves ,
Quot vix aurea protulit Vetuſtas .
Quae vos carmina ſaeculo dediſtis ,
Docta , Iupiter ; & laborioſa ,
Adaugent decus Italis perenne .
Nullus eſt ita floribus vireſcens ,
Cultus aſſiduo hortulus labore ,
Veſtrum ut ĩgenium , boni Poetae ;
Sed tu , Marce , ferax velut marinum
Creſcens Coralium anxie petitum
Nautis , ſponte ſua rubens in undis .
Franciſce , aureae es eruditionis ,
Et qualis gravido arbor eſt agello ,
Quam lympha recolit decora Nais ,
Semper fructibus emicas odoris .

Sic

Sic vos, ut tremulas iubar per undas
Refractus, nitido micatis Orbe:
Sic vos suspiciunt, coluntque Vates;
Nam estis deliciae, atque Vatum ocelli;
Vos polletis enim alloquutione
Mira, & omnigeno decore morum.
Quare mi liceat meis Amicis
Istis Fratribus, unice colendis,
Cudere hendecasyllabum suavem,
Quod sit memnosynon venusti amoris.

D. ANTONIO LAMBERTENGHI

C. R. S.

Lambertenghe, tibi meum suavem
Procudo hendecasyllabum; sed audi,
Quod non id tibi sit Viro diserto;
Nec Vati omnigenae eruditionis,
Quam miramur in omnium optimarum
Artium studio optime locatam.
Verum est munus amiculi fidelis;
Eius dulcis amiculi fidelis,
Qui te sic amat, ullus ut virorum
Nil plus amet, aut amarit unquam.
Me vincis tibi amabili, ac faceta
Consuetudine, comitate morum,
Et candore animi, ingeni & decore,
Mira & blanditia alloquutionis,
Quae dulcis magis est liquore mellis.
Qua de re breviusculum parabam

Cu-

Cudere hendecasyllabum ; sed aurem
Pervellens mihi Musa ; quid audes ,
Inquit , scribere , Batte , ne diserti
Deterant meritum viri , pusilli ,
Rudes versiculi rudis Poetae ;
Nec illo magis ullus est disertus ,
Nec te ullus magis est rudis Poeta .

AD FRATREM

D. ALEXANDRUM VANINETTI

C. R. S.

UT vivam , ut valeam , ut meam salutem
Procurem hic procul a tuis ocellis
Scire vis bone Frater ? hic profecto est
Mihi perbene : maxime hospitales
Repperi hic homines , benignitate
Queis non invenias pares , amantes
Omnis munditiae , elegantiaeque .
Porro hoc aere nil magis salubre est ,
Nil apricius his locis ; amica sedes
Pomonae , Bromioque , Palladique .
Benacus pater hic Deus virentum
Nympharum , cui Naiades trecentae
Curvo in litore ductitant choreas :
Enatos madidis iugis trecentae
Invergunt fluvios vagosque fontes ;
Tum rursus vacuas , & otiosas
Incano gremio fovet trecentas ;

Per-

Perque lucidulos lacus liquores
Dulces insiliunt & hic & illic
Pusilli hendecasyllabi Catulli ,
Canoro & lepido ore mussitantes ,
Sirmionis ab hortulis regressi .
Quo sunt progeniti ; trahunt & horas ,
Et vivunt hilares sinu beato .
Sed mi delicium unicum perenne ,
Ea qua licet hic perennitate ,
Dat mihi Saloe suo recessu ;
Tam suavis mihi , carus & recessus ,
Interesse meae prope ut micanti
Veronae videar , rearque felix .
Adest & Chorus inclytus Virorum ,
Pindi quos refovent novem sorores ,
Doctos Unanimes , patres leporis
Quos salax colit Italus sagaxque .
Mihi sunt & Amiculi fideles ,
Quos quum convenio , facetiarum
Patres convenio ; hi domi reservant
Quidquid gratius est , venustiusque ,
Quod dant muneri Amiculo fideli .
Si quem convenio otiosus unquam
Diebus gravido sacris Lyaeo ,.
Dum versatur agro , & tenace visco
Dolos adstruit alitum vagantum
Turmis , retibus obsidetve silvas ,
Prandium Is parat illico suave ;
Nec sinit procul hinc abire Amicum ,
Quin hunc molliter , atque delicate
Curet ; Is mihi quidquid adlubescit

In-

In menſam aggerit , & meae lubido
Quam moroſa gulae ſit , ipſe noſti :
In quo mi gula peccat , hic abunde
Adſunt Phoenicuri , bonique turdi ,
Queis ego genium expleo , voroque
Sic avariter , ut merum Deorum
Nectar mi videar comeſſe ; qualis
Scribit Flamminius , ſuam voraſſe
Se quondam ſapidiſſimam Turundam .
Me me Gardonium , omnium pupilla
Collium , ſtatio & quies amorum ,
Saepius tenet , & fovet benigne :
Eſt haec nempe mei domus diſerti
Illius Samuelis elegantis ,
Quem novit probe quiſquis eſt diſertus ;
Hoc non pulcrior eſt locus per Orbem ,
Nec vir eſt magis hoc Viro benignus .
Me me in collibus his mei Sodales
Oblectant hilari ambulatione ,
Dulci & colloquio , atque garriendo ,
Saltitando , canendo aguntur horae .
Domi deliciae , ioci , atque riſus
Feſtivi omnigeni . Mihi quid iſta
Eſt vita melius , beatiuſve ?
Mi Frater , Saloem advola , tuoque
Adventu recrea tuos amores ,
Bonae proſpiciens ſimul ſaluti ,
Autumni placidos dies agendo .
Adi delicias vacationum
Paullulum a ſtudiis tuis remittens ,
Ne laedat labor improbus ſalutem .

Tecum affer venerefque gratiafque ;
Namque facculus eft refertus ufque ,
Gratiifque tibi facetiifque .
Veni mi bone Frater , atque habebis
Quidquid delicii domi eft , forifque ,
Quod dulcem feret allevationem .
Huc tandem propera , lacumque adito ,
Lacum deliciis refertum abunde ,
Cui modo emicuit Quiritium Rex
Advectus rate non procul Limone ,
Pifcatu recreans fuos ocellos ,
Septus follicita virum corona ,
Quam rumor modo cogit undequaque ;
Nec res accidit invenufta Regi .
Quis , Benace , tuos referre honores ,
Poteft , deliciafque ? nil magis beatum eft ,
Nil magis nitidum Infulifque , & undis .
Quare , mi bone Frater , advolato ;
Nec tibi ftatio haec amica Mufis ,
Inurbana foret , vel invenufta .

IN OBITU MARCHIONIS

SCIPIONIS MAFFEI

VERONENSIS

ODA.

ECqua Pieridum carmine lugubri
Tam cari capitis funera concinet ?

Tu

Tu mecum lacrimis Melpomenes , ſinum
Imple cincta cupreſſu .
Ergo Scipiadem , Caſtalidum decus ,
Fato Perſephone ſuſtulit impio ,
Ceu Notus ſegetes grandine ſaxea
Agit , rura flagellans ?
Qui lapſus potuit ſiſtere fluminum ,
Et cantu rabidas flectere belluas ;
Vatem Threicium ſic Rhodopes iugis
Senſit dulce canentem .
Quem leni toties audiit alveo ,
Gerens vincta Atheſis cornua floribus ,
Narrantem Meropes triſtitiam ,& metum
Cinctum crura Cothurno .
Tunc Pan praecipiti vertice capripes
Decurrens , celeri conticuit pede ,
Et grati volucris carminis immemor
Laeta in fronde reſedit .
At , linquens teneros Theſpiadum Choros
Ingenti Sophiae tacta cupidine ,
Mens arſit rutilas Coelicolum domos
Certis noſcere ſignis .
Hic ſidus capreae cernit Oleniae :
Infeſtum Oceano vidit Oriona ,
Et certos Hyadum , Pleiadumque ortus ,
Et cuncta Aetheris aſtra .
Novit unde nives comparet algidas ,
Atque imbres pluvios Aethere Iupiter ;
Ut Solis rapidi lumina contrahant
Udos alma vapores .
Atque hortis Sophiae laetus inambulans ,

Telluris gremium fulmina rumpere ,
Atque ignitas plagas tendere in Aetheris
Novit corde trementi .
Ergo qua revehit lumina Bosphorus ,
Qua Ganges proluit decolor Indiam ,
Maffei volitet , nec tenui vigens
Penna , fama superstes .

IN DEDICATIONE

DIVI LAURENTII

BRIXIAE.

SEdes ista Dei , verenda Sedes ,
Sedes ista renidet undequaque
Magno extructa opere , atque magna opum vi ,
Amictu rutilans recentiori ,
Dextra Pontificis Deo dicata ,
Nostri Pontificis boni , & colendi
Summa pro pietate , quem dedere
Fata Coenomanis nimis beata .
Sedes auspiciis adaucta sacris ,
Fulgens munditia , elegantiaque ,
Sedes lucidior nitente Sponsa ,
Ut lux adfuit alba nuptialis .
Sponsa o mollior , & liquore olivi ;
Namque est ipsa Dei decora Sponsa ,
Quam coelestis Hymen , micante taeda ,
Duxit in Thalamum sui perennis
Solis : aemula Solis ante Divos

Om-

Omnes aetherea ſedens in Aula .
O pulcherrima Virginum , quot omnes
Iſrael tulit , & feret per annos .
Sponſus dulcior en Patris ſinum , & beatae
Linquens tecta Ieruſalem , nitenti
Electro , rutiliſque margaritis
Effulgens , humili tuo puſillo
Se ſe abſcondidit hortulo ; & virentum
Florum aromata perſequens , odora
Sedit areola ; & ſibi in coronam
Cana lilia carpit . O beata
Nimis lilia , quae manus tenellas
Tangunt Delicii tui , & venuſto
Serto illi ambroſium ambiunt capillum !
Iſto in hortulo decora ſemper
Floret vinea pampino comanti.
Veſtita , aureoli parens Lyaei .
O Amor ! fluit ex te abunde aquae vis
Decurrens Libano ; & ſalubris undae
Rivulus nitidiſſimus , benigne
Nutrit quidquid in hortulo eſt odorum .
Hic flores Zephiris alit perenne
Ver , & nectareo liquore Coelum
Euge , Sponſa Dei , domus Dei , euge ,
Euge ; tu ipſa es Amica dulcis , ipſa es
Tu Coelo genita , e ſinuque magni
Aſſurgens Orientis , inque eundo
Clareſcens magis ac magis , tenebris
Pulſis , luce nova retexis Orbem .
Tu aeterni radiis amicta Solis ,
Phoebe candida , lumen hac & illac

Late difiicis aureos ad Indos
Usque a Gadibus ultimis ; aeneis
Sic phoebea labris reflexa in auras
Lux attollitur ,& locum per omnem
Fusa , altis laquearibus refulget .
Tu , suaveliquentibus perun&ta
Unguentis , quo adoles odore ? qualem
Non fert Indica , vel Sabaea , & omnis
Eoo latitans sub Axe tellus .
Distillans favus in tuis labellis ,
Lac in ore , merum mel ; ipsum
Thus halat tunicae decens amictus .
Euge , Sponsa Dei , domus Dei , euge .
Sponsa suavior o suavitate !
Quam vix Isacidae , rubris sub undis
Submerso Pharaone , delicatae
Sensere omnigeno sapore Mannae .
Euge , Sponsa Dei , domus Dei , euge .
O quam dulcia , quam decora cerno
Tabernacula Cedar ! ipse magni
Lectulus Salomonis undequaque
Suaveolescit odoribus Sabaeis ,
Molli & gossipio , micante & ostro ,
Fulget non sine gemmeis lapillis .
Euge , Sponsa Dei , domus Dei , euge .
Te armati Superum chori tuentur ,
Ambitque innumerabilis corona .
Hic Laurentius inclytus Levita ,
Sanctae purpureus Minister arae ,
Custos integer hic sedebit usque ,
Nos & suspiciet suo favore ,

Sem-

Semper Coenomanis suis favendo .
Euge , Sponsa Dei , domus Dei , euge .

SENSUS AMORIS

IN IESUM.

PRo , quae mi sonuit repente in aurem
Vox dulcissima ! missus est ab Arce
Siderum Puer ille , tam cupitus
Perdiu , & peramanter usque & usque ,
Quem iam fatidicum per ora Vatum ,
Despondit Superum Pater misellis ,
Quos Orci obruerant malae tenebrae ?
O dies niveos , dies beatos ,
Qui tantum miseris bonum attulistis !
Carum delicium meum ; videre
Illum discupio quem amo , atque amando
Absumor , cruciorque ; meque quam mox
Ad se se cupidum vocet , misellus
Expecto nimium diu , & senesco
Expectans . Prope , iam prope est . Salutem
Affert & mihi , & omnibus misellis .
Parentum expiat Is scelus nefandum :
Humanum Genus Is eximit catenis ,
Et clausos aditus Poli resolvit ,
Vitam inter miseros agens misellam .
Mollius Syrii liquore olivi
Est tuum mihi nomen : id per aures
Influens , animae meae medullas
Percurrit penitissimas ; meumque

Cor perfundit amabili , & ſuavi
Dulcedine , ut illicet mihi omnes
Curas eluat , aegritudineſque .
O dulcis meus ignis , heus ! ubinam
Puer mi , latitas , tuoque caro
Me a vultu pateris abeſſe ? adeſto ,
Puer candide , lac meum , meum mel ;
Adeſto : venit , en venit cupitum
Dulce delicium meum , ſaluſque ;
Meum , quem unum animus videre , quo uno
Frui demoritur . Meis ocellis ,
Plus & ipſa anima , atque memetipſo
Amo te , & amavi , & uſque amabo .
Sed vos o nivei dies beati ,
Qui tantum miſeris bonum attuliſtis !

DIVO ALOYSIO GONZAGAE.

SAlve o Gonzaidum decora Proles ,
Quo non ditior eſt , beatiorque :
Salve o virginei pudoris ardor ,
Quo non candidior reſulſit Orbe ,
Omni qui fuit , eſt , eritque ſaeclo ,
Candeſcens mage candido recentis
Nivis vellere , lacte vel recenti .
Salve o liliolum bonae iuventae ,
Rigatum ſuperi liquore fontis .
Flos venuſtule ſub rubis acutis
Fulgens , undique veprium corona
Clauſe , floſcule purior per aevum ,
Et ſemper foliis micans odoris ,

Quem

Quem Divi Ignatii Cohors fidelis ,
Cohors fanctior , utilifque Mundo
Fovit , atque aluit liquore Coeli .
Quam belle emicuit Puer tenellus ,
Primis defpiciens opes ab annis ,
Vitae incommoda geftiens anhelus .
Nec prius didicit fuis labellis
Primos lacte dies fuos fovere ,
Quam Deum colere anxiis labellis .
Divini Puer hic amoris aeftu ,
Fervefcentibus Adriae procellis
Fervefcit nimio magis per horas ,
Sic , ut effugiat , filente nocte ,
Blanda languidulis quies ocellis .
Coelefti dape , nectarifque fucco
Nutrit floridulam fuam iuventam ,
Virtutum omnigeno decore onuftam ,
Qualis aureolis onufta pomis
Malus emicat in virente luco .
Heus ! falve o niveae , integellulaeque
Totius fpeculum bonae iuventae ,
Nunquam ut figeris in Parentem ocellos ,
Quae te plus oculis fuis amabat .
Hei mihi , teneros velut fatigas
Arctus , molliculofque , vinulofque
Poenis immeritis , Puelle dulcis !
Aetas ifta tua inclyta , & fuavis ,
Candidis Superis quoque invidenda ;
Aetas ifta fuit refecta menfa ,
Tam brevi , & tenui refecta menfa ,
Ut vix ftare brevi liceret ipfi .

Aetas

Aetas cilicio ferociori
Defessa , heu , nimium & feris flagellis !
Aetas suavidica alloquutione
Emollita Dei sui , liquescens
Qualis solvitur aequinoctiali
Imbre , aut egelido Noto pruina .
Mansueti o decor ingeni , & pudici
Mores , vitaque purior recenti
Electro , omnibus atque Lilietis
Magis candida , quae renidet usque ,
Ceu vellus nivei gregis recenter
Tonsi , qui fluvii nitente lympha
Ter mersus , vitium omne , pulveremque
Atrum sub vitreis reliquit undis .
Quare spernis humum putrem , levisque
Flammae instar , salis ; ac petens Olympum ,
Tranas Aethera praepeti volatu .
Salve o liliolum suaveolens ,
Nosque caro , & amabili Parente ,
Virtutum omnium , & omnium decorum ,
Per te posse frui impetra potenter .

PUELLAE PERPETUAM DEO

Virginitatem consecraturae .

O quae flosculus es Puellularum ,
Quotquot Adria iactitat venustas ,
Florescens roseis , rubensque labris
Sparsis ambrosia , sacroque melle ;
O rarum decus inclytae iuventae ,

Ful-

*** XXVII ***

Fulgens ingenio , elegantiaque
Morum , nobilium atque amor Parentum ,
Paucis te volo : cur comas nitentes
Sic tibi rigida manu recidis ?
Cur genas niveasque , vinulasque
Velo iam tegis invido videnti ?
Tune floridula illa , tu illa bella
Virgo , liliolis magis renidens ;
Flos semper foliis micans odoris ,
Qui venustulus in rubis acutis
Praefulget , latitas & usque & usque ,
Pergens linquere patrios Penates ?
Ergo divitias domus , opesque ,
Et quid carius est , beatiusque,
Duro , Virgo , fugis nimis rigore ?
Heu , heu ! quid ? tenerae tuae Parentis
Turgent lacrimulis , rubentque ocelli .
O incommoda , solitudinesque ,
O vitae genus asperum , invenustum
Susceptura , domus tuae levamen ,
Vide quid subeas , quid & relinquas .
At at , intuitu minus sereno
Me aspexit sapiens modo Puella ,
Istas increpitans loquutiones .
Heu ! quid perdito amore amatis usque
Malas delicias fugacis Orbis ,
Coeli delicias nucis putantes ?
Heu ! vos deliciae latent perennes ,
Quas Sponsae Dominus suae paravit .
Electissimus ille Sponsus , Ille
Cordis delicium mei , cupitus

Per-

Perdiu , & peramanter . Heu ! quousque ,
Heu , morabitur ? Ille me quousque ,
Heu ! desiderio sui misellam
Perget urere ? adesto , adesto tandem .
O incommoda , solitudinesque ,
O vitae genus unice suave !
Hic sola erudiar latens magistro
Divino ; omnigenis frui hic licebit
Mihi deliciis , & mihi loquendo ,
Leges invariabiles amoris
Ille mi evoluet . Satis superque
Sum perdocta , Deum omni amandum amore .
O decem mihi millies beata
Cellae pauperies , Deo sacranda !
O mens consiliis regenda fidis ,
Mens non indocilis parere iussis ?
Virginum o Chorus , insonans per omnes
Horas dulcisono , sacroque cantu !
O incommoda , solitudinesque ,
Quae gustans , videor mihi prope ipsis
Interesse epulis Dei ; & potiri
Aeterna , ac solida beatitate !
Hic pax alma animos simul revincit ;
Mundi hic blanditiae ruunt inanes .
Orbem si fugio mihi molestum ,
Cur rumor cruciat molestus Orbis !
Orbis , heu ! valeat , valete & omnes ,
Sponsum qui Superum mihi invidetis .
O dies niveos , dies beatos ,
Queis , mi Sponse , aderis mihi , tuoque
Mihi dulci , & amabili licebit

Gau-

Gaudere intuitu , alloquutione !
O incommoda , ſolitudineſque !
O vitae genus unice ſuave !

AD AMICUM

Cui res accidit periucunda .

ADeſte hendecaſyllabi quot eſtis
Omnes undique , quotquot eſtis omnes ,
Et rem dicite ter quaterque pulcram ,
Rem pereximiam mei Sodalis .
Adſit quidquid & eſt domi cachinni ,
Quod nil dignius eſt (reor) cachinnis .
Venatum ibat , (erant vacationes) .
Defeſſuſque via , cadente Sole ,
Saxo , non procul Hic domi , reſedit ,
Detrahitque aeneum , cavumque ,
Nitro , & ſulphure quod ſatis repletum eſt ,
Tormentum volucrum , genuque ponit ,
Indulgens animo , ſuiſque curis .
Iam tum forſitan , & ſuos amores ,
Et Nicem doluit parum fidelem ;
Nicem flagrat enim dies in omnes .
Quum mox Erythacus vagus Rubeto
Inſilit teretem , tubumque tenſum ,
Summo vertice palmulis quieſcens ,
Quo rumpunt pilulae ex liquente plumbo .
At at , ſentiit haud ſatis fidelem
Sibi Penniger hanc moram futuram ,
Quam tollit ſubito . O genus venuſtum ,

Mi-

Mirandum lepidum , elegans cachinni !
Quod caudam quatiens , micansque ocellis
Procax , corpore foetidam figuram
Immissam proprio , tubo relinquit ,
Praepeti repetens rubeta penna .
O factum lepide , nec infacete .
Adelle (ut puto) sentiit Poetam ,
Qui amores melius , lyraeque fila
Tractet , quam volucres sequatur armis .

IN MORTE CATELLI .

ERgo deliciae meae Catellus ,
Quicum ludere saepius solebam ,
Qui mecum bene noverat iocari ,
Et solatiolum , & meum levamen ,
Iam nunc it per iter tenebricosum ,
Dein nunquam Domino suo videndus ?
O factum male , *pessimae tenebrae* ;
Quae mihi Catulum meum abstulistis !
Meum delicium unicum Catellum ,
Scitulum , vagulum , venustulumque
Canum flosculum . Hic domi otiosus ,
Nunquam se latere e meo movebat .
Ad me blanditer usque saltitabat ;
Ad me suaviter usque ganniebat ;
Et tractim mihi , gestiente cauda ,
Mulcebat lepidus pedes utrosque .
Erectis pedibus modo huc , modo illuc
Micabat lepido , vagoque saltu :
Gannitu & tenero mihi explicabat ,

Non

*** XXXI ***

Non idem illepide , atque ineleganter ,
Ut carae genitus suae Parenti ,
Et desideria , & suos amores .
Domi parvulus is meus Catellus ,
Qui adventantibus adsolet latrare ,
Qui suo Domino est comes fidelis ,
Corporis subito dolore captus ,
Amens insiliens , adivit umbras ,
Umbras , *unde negant redire quemquam* .
O factum male , pessimae tenebrae ,
Quae mihi Catulum meum abstulistis !
Catelle , o mihi millibus trecentis ,
Atque e mille aliis mihi Catellis
Magis dulcis , amabilis , suavis ,
Ergo te rapuit sopor perennis ?
Flendo sic Domini rubent ocelli
Semper turgiduli , quies & ulla
Pro sorte hac rigida , miserrimaque
Non Herum faciet minus dolentem ,
Donec sit Catulo suo superstes .

AD PRIAPUM

Pro hortuli custodia .

Soli iugera qui tenet beata ,
Qui vites habet & sitas in agris ,
Et multos quoque vitibus racemos ,
Fusos undique collibus superbis ,
Spes amica viri laboriosi ,
Qui vino reficit graves labores ,

Is

Is Bacchum , & Cererem , Deosque magnos ,
Quotquot sunt , veneretur usque & usque .
Ipse , pauperiem levem ferendo
Qui feci , Herediolum unicum paternum ,
Attentus colo sarculo , & bidenti ,
Temnens divitias , opesque Regum .
Hic est floridus hortulus suavis ,
Qui ipsa suavior est suavitate ,
Mutaturque meus labor labore ;
Nam ipse semper in hortulo laboro ,
Et fructum ut erat hortulus laborat ,
Utque , ego ipse meo hortulo fidelis ;
Sic suo est Domino hortulus fidelis ;
Et fidelior esset ; at rapaces
Et furum , & volucrum hic manus vagantur ,
Quae fructus rapiunt suaviores ,
Hos & esuriunt voracitate ,
Labra & lingere pergitant sapore ,
Si quando procul hinc eunt multi .
Has arcere manus velim rapaces .
Adsis falce tua , Priape , agello ,
Adsis , & facie ferus rubenti .
In hoc sunt mihi agellulo pusillo
Ficus dulcior , & ferax labrusca
Ad rivum sita pampino virenti :
Sunt & fraga rubentia , atque pisa ,
Quae cuncta eripiunt mihi misello .
Sis , quaeso , vigil hic , malosque fures
Quotquot sunt , prohibe , & simul volucres .
Id si tu facias , memor deinde
Herus dona feret suo Priapo .

Pro

Pro parvo modulo , ſuoque agello ,
Habebitque Deum ſuum Priapum .

AD SERVIUM.

SErvi , verſiculos tibi triginta
Velim mittere delicatiores ,
Qui nec diſpliceant tibi , nec omnes
Sales effugiant mei Catulli .
Verum mi totidem velim remittas ,
Qui ſimul venereſque , gratiaſque ,
Quotquot ſunt tibi cognitae , reportent ;
Id quum tu facias , ferocitatem
Non curabo hyemis , nec inſolentem
Timebo glaciem , & malas pruinas .
Heus ! mi Ocelle , tuos ſales facetiaſque
Tuas collige , quot Catullus ipſe
Suis hendecaſyllabis renidet .
Illas & mihi ſedulus remittas ,
Queis nil dulcius eſt , venuſtiuſve .

AD MUSAS

ELEGIA.

ITE procul , Muſae , ſi carmina foeda docetis,
Carmina quae violant iura pudicitiae .
Vos amat,& ſequitur foecunda haec criminis aetas,
Plauſus at indignus Vatibus inde venit .
Nec ſine labe licet veteres legiſſe libellos ,
Sive , Catulle , tuos , ſive , Tibulle , tuos .

 Naſo,

Naso, tuum carmen res est quam plena pericli !
 Turpiter omnis enim pagina amare docet.
Musas cur sacras, loca sacra, sacrosque Poetas
 Dicimus, impuro si fluat ore sonus?
Sic demum divina, Plato, est dicenda Poesis,
 Quae Genus, & mores inquinat, atque domos?
Verum, non facit hoc carmen, nec carminis Auctor,
 Sed mala libertas quae bona cuncta tulit.
Versibus assuescunt hominum mitescere mentes;
 Inditur & virtus, & pietas animis.
Principio celebrare Dei per carmina laudes,
 Dicere vel fortes dignior usus erat.
Discimus & cantu Regum mandata vereri:
 Pectora mollescunt, asperitasque fugit.
Scilicet invitos succus depascit amarus
 Legis, conspersus dulciter ambrosia.
Paullatim & cantus mentes dulcedine captae,
 Melle, velut pueri, pocula tincta, bibunt.
Sed, postquam in vitium excidit immutata Poesis,
 Nec sua continuit iura, gubernat Amor;
Tristis amor, morum, & recti violator iniquus,
 Usque Poetarum turpia dicta sonant.
Corripit impuros libros impura Iuventus
 Itala, quos mittit trans mare turba procax:
Et legit, & tetro desumit fonte venenum,
 Pascens dulcisonis pectora blanditiis.
Interea veneranda solo collapsa recumbit
 Religio, & superest nulla fides animis.
Nec lex certa iubet, regnatque licentia dictis,
 Et quae fata manent, irrita credidimus.
Nec nos incertam Mortales funeris horam

Quae-

Quaerimus, & qua sit mors aditura via.
Immortalia spernimus, & delabitur aetas
Pulcrior, insanis rapta cupidinibus.
Sic hominum victus, vitaeque est mollior usus,
Gaudet & externo numine turba recens.
Sic, cui tradita cura colum, fusumque tueri
Femina, docta modis, ferre recusat onus.
Hei mihi, quos mores nostris tulit Anglia Terris!
Hei mihi, Francorum quae mala carmen habet!
Seria num dictu sunt dedignanda Camoenis?
Deficit an lusus, vel sacra materies?
Ergo, *animis natum, inventumque Poema iuvandis*,
Versum est in miseras, pestiferasque vices?
Ite procul Musae, si carmina foeda docetis,
Carmina quae violant iura pudicitiae.

BEATO HIERONYMO AEMILIANO

Congregationis Somaschae Fundatori.

NON hic divitias mihi, vel decora alta Parentum,
Insculpta aeterno marmore, Musa, refer;
Neve canas *stantes in curribus Aemilianos*,
Quos fovit tumido Roma beata sinu.
Simplicitas vitae laudanda est carmine nostro,
Et pietas morum, cultaque pauperies.
Sancte, veni, facilisque tuis fumantibus Aris
Labere coelesti munere, & affer opem.
Turba Puellarum, & miseri sine matre Puelli
Exorant humiles in sua vota Patrem.
Adria festivo indicit solemnia Templo,

Et recinit laudes , Aemiliane , tuas .
Quidni ? laeta dies memorat miracula civis ,
Quem Superis virtus miſcuit , & pietas .
Non Hunc ambitio , rerum nec ſaeva libido
Dimoviſſe piis officiis potuit .
Quin ſibi pauper , opes manibus fundebat apertis
Aegris ut fieret ſpes , & amica ſalus .
Nec Genus antiquum , nec grandia nomina Avorum,
Illius aut animum ſollicitavit honos .
Itala quum flerent bellorum regna furore ,
Ipſe levem fecit pauperiem Miſeris ;
Purpureamque Togam vili mutavit amictu ,
Impatiens operis vilia quaeque ferens .
Interdum manicis infigens oſucula duris ,
Miles , & amplectens ferrea vincla memor ,
Divinae illacrimans perſolvit vota Parenti ,
Quae iam captivi bis miſerata Viri eſt .
Interdum vitae Pueris alimenta miniſtrat ,
Edocet & ſanctae currere legis iter .
Nec labor aſſiduus terret quin ſedulus omnes ,
Suſcipiat curas , conſulat & Miſeris .
Mente volutat inops , magnis & ſumptibus effert
Coenobia impuris non adeunda Procis ,
Ad quae confugiant , ceu tempeſtate columbae ,
Virginei coetus , quos malus urget amor .
Totus in hoc uno , culpas ut dirimat Orbe ,
Tartareique Hoſtis conterat inſidias .
Pulcrum eſt Meſſores inter ſpectare Magiſtrum ,
Qui praecepta Dei , Ruſticus ipſe , docet .
Nec tamen a pueris decedit cura miſellis ,
Quos circum ſolers colligit , & refovet .

Nocte

Nocte dieque graves meditatur pectore curas ,
Et magis accenso carpitur igne Dei .
Quum fureret pestis , qua fundit Larius amnem ,
Agricolaeque Aris irrita thura darent ,
Exitium & superaret opem , adsuit Aemilianus ,
Aptans foeda humeris membra inhumata suis .
Felix o nimium Somaschae Vallis , & Antrum ,
Quo se se occuluit Vir pietate gravis !
Sed se se occuluit , qualis Sol igneus Axe ,
Ut tegitur profuga nube , fremente Noto ,
Quam subito amplectens , rutili circumdat amictu ,
Discolor , & latos pingit , & ardet agros .
Aemiliane , tua haec virtus patefacta refulsit ,
Nec tenebrae pondus sustinuere facis .
Emicuit Pueris tam dulcis cura Parentis ,
Et Populo emicuit sedulus almus amor .
Dicite , sancta mihi vos o penetralia Vallis ,
Pressit ut immeritis pectora suppliciis ?
Ingeniosa sibi virtus tormenta recudit ,
Collucens , auri lamna ut in igne , magis .
Accipit & Divum mores , coeleftibus haerens
Consiliis , turbae providus usque suae .
Prodigiis splendere novis , e cute liquores
Trudere fas Illi , ne sitis atra premat .
Fas & multiplices defectos reddere panes ,
Ne Pueros vexet dira fames miseros .
Sed , quoniam superas citius remearet ad Aedes ,
Linquens virtutis splendida signa suae ,
Hortatur fidos animos , sociosque laborum
Undique collectos , quos pius ardor habet ,
Atque Illis queis vota patent , venerandaque iura ,

Agmina committit cara tuenda sibi .
Quid non turba supplex potuit sub numine tanto?
Irrita quis fudit verba , precesque miser ?
Sancte , veni , nostrisque potens illabere votis ,
Ut tuus in Miseros nos quoque adurat amor .

IOANNI MOLINO

Cardinali Amplissimo ec. ec.

ERubuit , tanta Vatum plaudente corona ,
Miscere ignavos nostra Thalia modos .
Mirabatur opus rerum , Moline , tuarum ,
Atque procul tacito capta stupore fuit .
Tunc Helicon sonuit citharis , & Pindus , & Haemus ,
Coenomanum currens nuntia fama vias .
Spectavere Virum meritis , & more coruscum ,
Quem Roma Adriacis restituit Patribus .
Iam cecinere : suo nunc Principe Brixia gaudet ,
Purpura , & haec Virtus fulget in imperio .
Illius o utinan meruissem dicere laudes ,
Et foret ingenii copia tanta mei !
Non mihi materiem virtutum summa negabat ,
Nec levis inde mihi forsitan esset honos .
Hoc Decus Adriacum , Genus alto a sanguine ducens ,
Nomine replevit saecula longa suo .
Testis Roma fuit , quae primis fovit ab annis ,
Mirata & mores , auxit honore Virum .
Edoctum sensit divinis legibus Ipsum ,
Dignus qui Populos imperio regeret .
Coenomanum atque adeo fessis succurrere rebus ,
Tan-

Tandem opportunus missus ab Urbe venit :
Venit , languentes redivivus ut imber in agros :
Venit , ut incertae stella secunda rati .
Alta Pontificis mansit qui mente repostus ,
Effulsit titulis , purpureaque Toga .
Splendidior Fortuna Loci caput extulit huius ,
Servatumque diu devenerata Ducem est .
Signa dedere animi grati quot in Urbe morantur ,
Laudibus & valles insonuere suis .
Quid ni ? dentibus infrendens ubi inhorruit atra
Invidia , insontes est & adorta Viros ,
Ambiguas tentans in vulgus spargere voces ,
Et terrere novis criminibus Miseros ;
Numine sub tanto labefacta relabitur umbris ,
Maior & emicuit fama Sacerdotii .
Sic Te perpetuo celebrat Cammonica Vallis ,
Sic , Moline , tuo laeta patrocinio est .
Turba Sacerdotum supplex procedit ad Aras ;
Et memor officii , dat pia thura focis ;
Exutas tendit vinclis ad sidera palmas ,
Propitium exorans in tua vota Deum .
His equidem auspiciis coepisti tradere iura ,
Adventuque tuo procubuere doli .
Eventura precor , quae iam cecinere Poetae ,
Sint modo virtuti tempora longa tuae .
Felix o Saloe , memini tinnitibus aurae ,
Aere repercusso quum sonuere sacris ,
Pontificem exceptura tuum ; nec gaudia dicam ,
Nec quanta in Templis haec Pietas fuerit .
Sensit Benacus , sensit quoque Sirmio laeta ,
Molino applaudens ore Catulligeno .

O ego quae audivi , gratae quum ſplenduit Urbi
  Laudibus illa tuis non caritura dies !
Tunc mecum optabam mihi talia carmina adeſſe
  Orpheo , vel Lino qualia adeſſe ferunt ;
Quae legeret veniens aetas , & facta videret ,
  Subſcribens meritis praemia digna tuis .
Hoc mihi non licuit, vireſque, pudorque vetabant,
  Eſſem quum ingenii conſcius ipſe mei .
Praeterea nec adhuc fuerat mihi Brixia ſedes ,
  Nec dederant coram cernere fata Virum .
Hic ego Te vidi Conchyli veſte micantem ,
  Spectandum , natis dulcis ut eſt Genitor .
Hic ſimul exercet vires , animoſque coercet
  Maieſtas , & amor , copia rara animi .
Hic pietatis adhuc monumenta loquuntur honores,
  Numinis hic omni ex parte renidet opus .
Vaſto at nolueram pelago committere cymbam ,
  Quae ſolita eſt undis ludere in exiguis .
Sed tua me virtus rapit, imprudenſque per altum
  Transferor , & dubium currere cogor iter .
Parce precor , ſi reſque ſinit , iam contraho vela,
  Portum ſollicitus , qua licet arte , petens .

DURANTES DURANTUM

Com. & Eq. ec. * * *In Ortu II. Geneti* .

IAM Foetum Matrona dedit, dulciſque Parentes
  Occoepit riſu noſcere utroſque Puer .
Plaudat Mella ſibi ; venit Natalis ad auras ;
  Nuntiat haec nobis omnia laeta dies .

Adſit

Adſit , ſepoſitas veſtes indutus Apollo ,
Dicere qui noſcit quid ferat hora ſequens .
Praecinit , heus ! fati leges qui novit Apollo ,
Praecinit , an fallor ? vir , mulierque fave .
Audio iam laudes reſonare Helicona Durantum ,
Et iam fatidico murmurat ore Deus .
Magna haec Progenies regalibus inclyta ſignis ,
Arboris inſtar erit , quam fovet uber ager .
Protendet patulos ramos radicibus altis ,
Accipiet feſſos hoſpita & umbra Viros .
Magna haec Progenies , ſplendoribus aucta Parentis ,
Lucebit Patriae , ſtella ut amica ſuae :
Illius & virtus albis devecta quadrigis ,
Altius e vitiis exeret uſque caput .
Iam ſibi Mars nati teneris aſſumit ab annis ,
Evoluens Patruum parta trophoea Ducum .
Iam ſibi non dubios adſciſcit Pallas honores ,
Huius diſquirens enſe , togaque animum .
Signa videt pendere ſuo Sapientia Templo ,
Quae fixit pietas culta , & Avita fides ,
Purpureas Patruum veſtes , decora alta Nepotum ,
Anxia & ante aras Hunc manet Illa ſuas .
Nos quoque laurigeris cingemus tempora ſertis ,
Atque dabit Nato Calliopea lyram .
Secernent populo Phoebeia dona Durantes ,
Quorum Caſtalidum nomen in antra ſonat .
Pierides , Puero , manibus date lilia plenis ,
Laurorum , atque hederae proemia digna date :
Eia age , Melpomenes , Fabii non immemor , aureum
Barbiton aſſueta tendere diſce manu .
Aureae , & Hic olim tanget teſtudinis arcum ,

Et

Et referet priſcos Itala Scena viros.
Plaudite, Coenomani, iam dixit pulcher Apollo;
Saecula nec fallet quod canit ore Deus.
Creſce, Puer, nobis avibus felicibus orte;
Creſce, tui Patris fortia facta ſequens.
Non Aquilae imbelles mos eſt generare columbas,
Robur & a forti ſanguine natus habet.
Creſce, Puer, citharis Vates cunabula cingunt,
Auguriiſque modo perſtrepit aura tuis.
Sed, tibi cuum Coelo fuerit data firmior aetas,
Attollent Civem civica turba ſuum.
Dicite io, Gentes, quas dividit ultimus Orbis,
En qualis noſtra fulget in Urbe decor?
Regia Sardiniae Domus haec inſignia praefert;
Haec Domus aſſueta eſt emicuiſſe Viris.
En, Rex Sardiniae tibi iam luſtralibus undis,
Pontificis dextra, diluit omne nefas, (ſtum,
Quod commune homini eſt primis Genitoribus hau-
Natalemque tuum devovet Ipſe Deo.
Ingredere, o Felix, Templum ſub numine tanto,
Sitque Tibi duplici foenore parta ſalus.
Informabit amor mores, & patria cura,
Paſſibus & certis ire docebit iter:
Signatoſque Tibi calles virtutis ad Aram,
Ex quibus & Nato iuſſa Deae pateant.
Da Puero amplexus, Genitor, fige oſcula, Mater;
Atque alite hoc veſtrae delicium Patriae.
Exemplum Proavum, nomenque manebit in Illo,
Natorum, & natos Brixia honore colet.

P. D.

*** XLIII ***

P. D. RVPERTO COSTAGUTI

Sacro Oratoris munere

BRIXIAE

PERFUNCTO.

SAlve, o Coenomanum qui tandem adveneris oras,
  Divini nobis Nuntius eloquii,
Costagute; tuis iam capta est Brixia dictis,
  Teque loquente, videt procubuisse scelus.
Continuo insanos, fallor? posuere furores,
  Quos mala vis animi fecerat indomitos.
Testis ego aspexi, Templo quum turba ruisset,
  Fronte sub attrita prodere tristem animam.
Quid fremitus mota pelagi non dispar ab unda,
  Quid murmur Populi subtacitum voluit?
An non & lacrimas oculis, suspiriaque imis
  Moerentum educi vidi ego pectoribus?
Pro, non mortali facundia oborta magistro,
  Coelesti sed enim Vatis ab ore sonans!
Si cui mos hebetet pravus caligine mentem, (*)
  Saxeum & efficiat cor, animumque liget,
Ne valeat mens, cor cedat, valeatque voluntas,
  Et videt, & cedit, teque movente, valet.

Quid?

(*) *Prava consuetudo Excoecat intellectum ne videat; Indurat cor ne sentiat; Ligat voluntatem, ne valeat.*
Ex Divo Bernardin. Senen.

Quid? si vel numero quisquam, vel pondere legum, (*)
Divino trepidet demere colla iugo;
Tu revocas praescripta Patrum, quae Numen adauxit
Isacidis olim plurima, dura nimis;
Et nova cum priscis confers mandata, Fideles
Sarcina ne gravior terreat, aut numerus.
Allicit haec brevitas legum non ardua cuiquam,
Impelluntque animos Regna parata pios.
Anne intentatum quidquam facundiae, & artis
Deseris, ut victas det rea turba manus?
Nunc instans precibus, nunc verba minantia dicis,
Ut surgat Ionas, quem sopor altus habet.
Quod fera tempestas, clamor, stridorque rudentum
Non valet, ipse tua voce, Ruperte, vales.
Quin ita voce vales, ut, ni potiare triumpho,
Praedaque parta cadat Numinis ante pedes,
Irrequietus agas, qualis Regina volucrum,
Appetere impatiens vulturis ungue caput.
At, si queis pietas, & mens est conscia recti,
Forte pede incedant segnius ancipiti;
Exemplis, dictisque tuis animosius omnes
Haud dubiam Coeli corripuere viam..
Mantua felix o! felicior una Cremona,
Quam tua dicendi copia bis aluit,
Costagute; tamen minus o! non Brixia felix,
Brixia forte olim non caritura pari:
Nam post bis ternas hyemes rediturus, abibis,
Laetitiamque tuo restitues reditu.
Omine sic vigeat fausto fulgentius Ostrum,
Pla-

(*) *Mutata sunt sacramenta; praecepta facta sunt Pauciora, Faciliora, Feliciora, ex D. Augustino*.

Plaudat & usque suo Brixia Pontifici ,
Talem qui nostram Vatem arcessivit ad Urbem ,
Ut nos bis sacro nutriat eloquio .
Sit bene , Costagute , tuos qui dixit honores ,
Coenomanisque tulit nomen , & acta Viri .
Italiae interea optatissimus ibis ad urbes ,
Eloquii mittens semina clara tui .
Te quoque suspiciet Sedes veneranda Quiritum ,
Urbs meritis iudex aequa futura tuis .
Anxia dicentem excipiet , mirataque linguae
Litore ab hetrusco dulce fluentis opes ,
Tybridis arentes qualis fluit unda per herbas ,
Auriferi aut qualis defluit unda Tagi ;
De Capitolino applaudet Tibi colle triumphos ,
Et digna emerito serta dabit capiti .
Dicite io , Cives , & io bis dicite quotquot
Urbes , queis tanti vox capienda Viri est .
Incolumem o ! istis , Superi , servate Rupertum
Laudibus , atque sui testibus ingenii .
Crescat, ceu Libani Cedrus, tam rara Iuventus ,
Crescat & in senium fundat odora comas .
Macte animis , primo prodis qui flore iuventae,
Atque hominum mores , Numine flante , doce.
Sic tenera Moses sparsus lanugine malas ,
Difficile est visus munus obire Dei .
Sic potuit Samuel viridi spectabilis aevo ,
Sic potuit David fatidico ore loqui .
Eu ! quae multa manet longos te gloria in annos,
Eu ! quae coelestis tradita cura tibi est .
Vade , age , divinis imple splendoribus Orbem ,
Et quae baccatur , corruat impietas .

AD

*** XLVI ***

AD AMICOS

Ex Coenomanum Urbe Amicum convenientes.

FAllor ego, an venient Benaci ad litora Amici?
Fallor ego, an visu, deliciisque fruar?
Terque quaterque beata dies quum fulserit illa,
Qua vos amplectar, dulcis, amanda Cohors!
Pierides, caris dabitis bona carmina Amicis,
Quorum colloquuium nectaris instar erit.
Coenomanis, ni fallor, iam dixere salutem;
Accipit, & ducit Rheda parata Viros.
Si quando tenero sonuerunt aequora cantu,
Nunc demum reboent ore Catulligeno.
Visam Musarum Comites, mea pignora amoris;
Et visam quidquid laetius Orbe mihi est.
Tunc ego non tristis solus loca sola vagabor,
Neve etiam mihi tunc esse videbor iners.
Obvius adcurrens, venientibus oscula figam,
Mutua vox nobis, mutuus ardor erit.
Ast, ego sinceris animis quae dona parabo?
Pauper Musa mihi, sum quoque pauper ego.
Accedet vultus, nec iners, pauperque voluntas;
Maxima si facitis carmina, carmen erit.
Ocyor, ah! Solem, precor, hunc Aurora nitentem
Luciferum roseis candida portet equis.
Carole, si venias, quid non mirabor? amicas
Pene ego credidero tunc mihi adesse Deas.
Visere credidero scrutantem exordia rerum,
Credidero Vatem, Philologumque loqui,
Navigium externis oneratum mercibus oris,

Pene

*** XLVII ***

Pene ego Mercator , sedulus opperiar..
Non secus ac ieiuna fames , si membra fatiget ,
Quaesitum opperiar , corripiamque cibum .
Carole mi , propera fidis comitatus Amicis ;
Eia age , cum cithara , carminibusque veni .
Nec te praetereat fueris quam dulcis Amicus ,
Quamque tibi dederit Calliopea lyram .
Dat mihi Benacus secreta in parte quietem ,
Et Saloe est nobis unica delicium .
Nympha haec iam fuerat docto dilecta Catullo ;
Nympha haec expellit pectore tristitiem .
Ista tenet citharam , qua non iucundior Orbe ,
In numerum & digitos Ista movere docet .
Lex mea me tandem vitae traducit inerti ,
Pontum & Musarum liber adesse Choro .
Parva , nec invideo magnae rumoribus urbis ,
Haec statio est, nobis quam bona sors tribuit.
Parva erat & statio priscis exculta Poetis ,
Nec spernit tenues Musa subire locos .
Hei , mihi sollicito lux fulgeat ista serena ,
Et videam cordis pignora cara mei ! .
Hic neque displiceat vobis venisse , Sodales ,
Namque haec delicias Terra benigna dabit .
Hic levis aura sonat per cedrina culmina semper ,
Neve Lacu longe semper Oliva viret .
Qua se proclivis subducit collis in undas ,
Colludunt celeres , transiliuntque rates .
Retibus hic Nautae circum piscantur & hamo ,
Atque struunt varias piscibus insidias .
Adsitis tandem , ducat mihi Rheda Sodales ,
Incolumes ducat , sollicitosque mei .

In

*** XLVIII ***

IN OBITU FRATRIS.

PRaecipe, Melpomenes, lugubres praecipe cantus
  Plorandum eſt cari Fratris ad inferias .
Ergo , meae , Frater , ſolamen dulce iuventae ,
  Spes , columenque domus hoc iacet in tumulo ?
Quem mirari unum , & cunctis praeferre ſolebam ,
  Quo mihi non ullus carior Orbe fuit .
Ecquis in hoc firmus , quaeve eſt conſtantia tanta
  Cordis , ut erepto vivere Fratre queat ?
Abſtulit una duos uno mors funere fratres ;
  Heu ! nimis extemplo , Frater adempte mihi ?
Nulla quies mihi viventi ſperanda deinde eſt ,
  Quem miſerum exanimat nocte dieque dolor.
Si mihi divitias caſus rapuiſſet acerbus .
  Haud tandem extrema triſtitia opprimerer ;
Nam patet eſſe nihil quod ſit ab omni parte beatum,
  Et ſors incerta datque , rapitque , manu .
Aſt , ubi mors animam rapuit , non dira reponit ,
  Nec Stygios fas eſt ire redire locos .
Conditur , & Terra nitidus Sol tollitur ima ;
  Sed non ſic homines , quos manet atra dies .
Quid ſine Fratre mihi miſero nunc denique reſtat ,
  Praeterquam lacrimis immaduiſſe genas ?
Tecum ego verſari , Frater , tecum eſſe ſolebam ,
  Atque arcana animi dicere conſilia .
Flere iuvet ſaltem , lacrimiſque explere dolorem ,
  Quando aliud nil eſt quod tibi perſoluam .
Anne animis livor regnat Coeleſtibus , ut , quae
  Fata dedere homini gaudia , ſurripiant ?

Non

Non secus ac rapidus montano flumine torrens ,
  Aut niger in pratis lilia turbo rapit ;
Ut fera tempestas florentem proterit uvam ;
  Scinditur a diris mollis ut agna lupis ;
Infelix Frater , sic te fata impia nobis
  Immatura premunt , & raperis Superis .
Dictu ut difficile est quantus , dum fata sinebant,
  Mutuus in nostro pectore adussit amor ;
Sic quantus teneat me Fratris funere moeror ,
  Et quam crudelis me dolor excruciet .
Sunt fictis Vates lacrimis illudere docti ,
  Et moesto vultu fingere tristitiam .
Nec tantum errata Eridani per litora cuncta
  Fraterno doluit funere Lampetie ;
Nec tantum Pylades tristem moerebat Orestem ,
  Quantum ego nunc Fratris morte dolore premor,
Certe amor unanimes etiam devincit amicos ,
  Sed vagus , & fluxis est levior foliis .
Lex Naturae, & amor fratres coniunxit in unum,
  Quos Deus, atque homines semper amare iubent.
Ah ! pereat quisquis fraterno funere siccis
  Stare potest oculis , & sine tristitia .
Durior est scopulis , quos saepe furentibus Euris ,
  Acta procellosi verberat unda Maris .
Non ego firmus in hoc , nec nostro parcior imber
  Lumine , quam verna de nive manat aqua .
Non dolor assiduus nostro de pectore cedet ,
  Sed labente die , sed redeunte , querar .
Anne Fratris vita argento , clarisque smaragdis ,
  Aut opibus magnis aequiparanda fuit ?
Non si divitias Croesi quis comparet ipsas ,

 At-

Attalicumque aurum par facit hoc pretium .
Talia quid cum animo, & dulcis cum funere Fratris,
Quo nihil in toto carior Orbe viget ?
Ereptum moeret Venator morte Melampum ,
Quod pedibus velox insequitur lepores ;
Maeret Eques privatus equuo, & non, Fratre perempto,
Perfundet Frater luctibus usque genas ?
Ah ! valeat quisquis vili pro funere plorat ,
Proque obitu Fratris saxea corda gerit .
Crede mihi , tristes nequeo compescere curas ,
Quin repleam lacrimis ipsa sepulcra meis :
Quae super, ut quisquis properans legat ipsa Viator,
Carmina coelabo grandibus ista notis :
Sic lacrimas Frater Fratris pro funere fudit ,
Ut pro Fratre suo fuderit ipse animam .

AD AMICUM

Epistola .

DUlcis Amice mihi, quo non mihi carior alter,
Purior aut est , aut alter amabilior ,
Audi quid dicam , si me quoque diligis ipse ,
Dicta & sincero cuncta putes animo .
Cara mihi quaecunque mei est data epistola Amici ;
Sed postrema mihi haec carior est reliquis .
Clara , nitensque eadem , miro consperfa lepore ,
Haud equidem a doctis despicienda Viris .
Puriter alloquitur , brevis est , urbana , faceta ,
Scribendi haud veteri nobilitate carens .
Interdum mordes , interdum laudibus effers ,

Ne-

*** LI ***

Nefcis interdum munus amicitiae .
At , modo nec mordes , nec falsis laudibus effers ;
Pignora nec desunt candidae amicitiae .
Carmina si scribant alii , iam mille Poetas
Inducunt , omnes coniiciuntque sales .
Immiscent Veterum quidquid mirabile dictu est ,
Pagina ut immensum praeferat ingenium .
Sed tu , nec turges , sonitu nec grandia praefers,
Quin parte ex omni simplicitate nites .
Adducunt caros multi in discrimina Amicos ,
Quos iam blanditiis consuluisse iuvat .
Pacifice , quidquid dicant , se audire fatentur ,
Verum , si dicant , corde fremunt subito .
Sic hominum genus est,quod laudem quaerere suescat,
Nec ferat ignari sustinuisse notam .
Interius tacito tentamur laudis amore ,
Fictio si quando est , non petiisse decus .
Ut gaudet proprios laudari Femina Natos ;
Partus sic proprii quisque amat ingenii .
At tu non lites , non hic mihi tristia dicis ,
Quidquid sentio , si proloquor ex animo .
Non ego sum tanti , possim qui ludere Amicum,
Atque illi immeritos applicuisse modos .
Gaudes a fidis interdum corrigi Amicis ,
Qui te , si ratio est , suaviter increpitent .
Scripta mihi mittas iuncto pede , sive soluto ,
Me vis sincere dicere , & ex animo .
Sic demum mihi, Amice, places, sic deinde placebis,
Sive Elegum Italicum , sive Epigramma facis.
Atque adeo , cur non mihi dulcis epistola talis ?
Cur non prae reliquis carior una fuit ?

D 2 Ah !

Ah,! valeat quisquis didicit non scribere Amico,
  Ipse facis veluti, puriter ex animo.

DE MARE, ET NAUTIS.

FErreus ille fuit, primus qui tradere cymbam
  Fluctibus, & potuit ferre pericla maris.
Quis malus hunc ardor tulit in discrimina rerum?
  Quis furor huic sensus abstulit, atque animam?
Quod genus hic timuit mortis, qui turgida ventis
  Aspexit siccis Aequora luminibus?
Terras ipse Deus rabidis absciderat undis,
  Tardior ut fieret mortis iniqua manus.
Sed gens mortalis tam blandae nescia sortis,
  Ingenium, infelix! in sua damna acuit.
Hinc fragiles pinus tradunt, hinc lintea ventis;
  Lintea, & hinc pinus saeva procella rapit.
Sed vitium hoc auri est, Pelagi nec cognitus usus,
  Ulla nec est trucibus tradita cymba Notis,
Vivebat parvo quum quis contentus agello,
  Et magni Patriae duxerat artis opus.
Nondum quaesierant externo litore vestes,
  Neve peregrino gemma petita vado est.
A grege vestis erat, Dominus quem duxerat ipse,
  Et nitor in toto corpore simplicitas.
Nondum homines novere hyades, septemque triones,
  Nec stellarum ortus cognitus, atque obitus.
Non sensere diu scopulos, Scyllamque, Caribdim,
  Quin Pelagi ignotum nomen, & unda fuit.
Sed postquã ambitio, & summus venit ardor habendi,
  Iam vada transiliunt non adeunda rates.

Sic

Sic tumulantur aquis, undaeque cadavera volvunt,
Sic brevior Miseris mortis aperta via est.
Uxor pro tenero lacrimas sic fundit Amante,
Verba & pro Nato non valitura Parens.
Protesilae fugam nec Laodomia doleret,
Thesea tam fleret neve Arianna suum.
Nota prius sedes monstris, loca foeta furoris
Sunt maria, insanis facta sepulcra viris.
Sic nostris adiuncta malis nova forma, genusque;
Sic nova nos pariter piscibus esca sumus.
Ah! valeat quisquis tam saevos intulit usus,
Spretus tranquillos degere posse dies.
Quam bene reditibus gaudet qui vivere avitis,
Nec Maris infidas ire vias didicit.
Quid iuvat Astrorum varios cognoscere cursus,
Qui foveant vanis spes hominum auspiciis?
Saepe serena dies, nullis obnoxia ventis,
Iam subito facta est noxia navigiis.
Sunt vada, sunt Syrtes, sunt monstra natantia in undis,
Ducunt instabiles sidera iniqua rates.
O illud satius patria considere Terra,
Et posse in Patria vivere, posse mori.
Divitias alius tanto discrimine rerum,
Si furor est tantus, comparet Oceano.
Pauperis haud pudeat me ducere tempora vitae,
Dum mihi in exigua pax sit amica Casa.

L U N A

Non est habenda inter Deos Ruris .

NUlla sit Agricolis fas reddere munera Lunae,
Ut fuit a Priscis tradita Religio .
Haec Dea non frugum,ut fama est,foecundat acervos,
Huius nec crescit numine semen agris .
Non Illi campos sorte est data cura tueri ,
Ulla nec influxu pullulat herba suo .
Ipsius in terris , etsi venerabile nomen ,
Quod superos inter suspicienda Deos ,
Quodque potens Trivia est , non debitus Illi
Unquam venit honos , quod foveat segetes .
Non Tibi displiceat me talia , Cynthia , fari :
Omnia quod possis , Cynthia , credidimus .
Dandus honor sed cuique Deo pro munere fas est,
Quod non conveniat sit tribuisse nefas .
Nec ficto gaudes venerari numine , Diva ,
Quin immo blandas despicis aure preces .
Annum Tu ducis Coelo , devecta quadrigis ,
Partiris noctes sic , ut Apollo dies ;
Te Dominam , dubio qui dirigit Aequore cursum,
Invocat , ut tutus numine currat aquas ;
Litore namque premis fluctus, pressosque reducis,
Quandoquidem vasto facta gravis Pelago .
Dona tulit pariter , silvis qui retia tendit ,
Et qui frugilegis insidiatur Apris .
Scilicet haec , tu Diva , potes ; sed nulla potestas
Rure Tibi , Edoctis si sit habenda fides .

Li-

Liber , & alma Ceres , duri Monſtrator aratri ,
  Vos colitis fruges , vos alimenta datis .
Veſtra ope maturant altis in collibus uvae :
  Veſtra ope floreſcit terra benigna roſis :
Hinc Cereri ſpicas , hinc florida ſerta Lyeo
  Ruſtica turba refert , Templa & Oſyris habet.
Atque adeo liceat nobis non reddere Lunae ,
  Quae ſunt ruriculis dona ferenda Diis .
Illa nec agreſti dignatur munere Divum ,
  Quae ſolita eſt ſummis ſidere Conciliis .
Agricolae veſtris poſtac incumbite Divis ,
  Et pro ſorte ſua munera Quiſque ferat .
Nec quod debetis Cereri , concedite Lunae ,
  Ne frugum eveniat copia in arva minor .

DE QUODAM MURE

In ſomnis audito .

MUltos dulce mihi eſt libros ſervare vetuſtos,
  Quos liquit nobis ſedula cura Patrum .
Hi mihi deliciae , ſunt hi ſolamina vitae ,
  Quos prae divitiis enumerare iuvat .
Mus quidam auditus nocturno tempore nobis ,
  Sepoſitos inter perſtrepuiſſe libros ;
Me ſubito excuſſit ſomno , quo dulce tenebar ,
  Audio & exilis qua Fera parte crepet .
Corripio textum , murem iaculatus in ipſum ,
  Qui loca nota petens , delituit ſubito .
Ut mihi cuncta ſilent , iterum complectitur arctus
  Somnus , & eſt ſubito murmur in aure mihi .

Discutior rursus, verba & minitantia dico,
Omnes in mures non valitura mihi.
Ut luxit, molli de lecto membra levavi,
Scrinia librorum visere sollicitus.
Deprendo carum corrosum dente Catullum,
Qui mihi prae reliquis dulcior unus erat.
O mihi si liceat, Murem demittere morti,
Atque illum meritis tradere suppliciis,
Qui mihi tam carum laceravit dente libellum,
Abstulit atque mihi gaudia cuncta simul!
At Feles, inquam, est nobis custodia tecti,
Quae facere assiduas adsolet excubias.
Hanc ego nocte, dieque meo reserabo cubili,
Librorum ut pestem hanc devoret ore vigil,
Si faciat, dapibus crassis donabitur ipsa,
Cara erit & Domino tempus in omne suo.
Sic tandem factum est; latitans sic sedula Feles,
Intuitu haeret quo mus ruat exsiliens;
Perque silentia noctis corripit exilientem,
Muris & expresso sanguine tingit humum.
Pinguibus hinc epulis Domino satiabitur usque,
Donec mi Feles ista superstes erit.
Post obitum, Tumulum faciam, propriumque dicabo,
Atque haec incidam verba super Tumulum.
Haec Domino Feles servavit viva libellos,
Hanc Dominus Felem servat & ipse memor.
Marmora donec erunt, referentia carmina nostra,
Donec erunt libri, semper & Ipsa foret.

IN

*** LVII ***

IN MUSCAS, ET PULICES

Ad Phoebum.

INcipiunt menſes longi faſtidia ferre :
  Agmina Muſcarum iam mihi bella movent .
En tibi Phoebe Pater, cuius vocor ipſe Sacerdos,
  Cauſa patrocinii , ſi tibi cura mei eſt .
Perſiqua eſt Pindi veneranda potentia Phoebo ,
  Muſcas a nobis longius ire iube .
Mente abeunt ſenſus Vati , impedientibus illis ,
  Nec ſinit haec peſtis ſcribere quaeque volo .
Quod, me ſi crucient , tunc ſpero carmina fruſtra,
  Nec licet Aonidum concelebrare Patrem .
Hanc mihi rem praeſta, potis es, mihi dirue Muſcas,
  Quae mihi ſcribenti taedia dura ferunt .
Dirue vel Pulices , toto qui corpore laedunt
  Mordicus , & venas compenetrare ſolent ;
Et fugiunt celeres , nec fas eſt prendere dextra ,
  Saltibus incertis ludere ſolliciti .
Si labor hic mihi ſit ſemper depellere Muſcas ,
  Captare & Pulices , ut ceciniſſe licet ?
Non ita Latrones medio aggrediuntur euntes
  Tramite , contenti tollere divitias .
Sed peſtis trudit de venis iſta cruorem ,
  Inque iubet ſanctos dicere verba Deos .
Adſis, perſiqua eſt pietas, mihi, Phoebe, precanti ;
  Proque memor tanto munere ſemper ero .
Ipſe ego ſorte vocor Phoebi famuluſque Sacerdos ;
  Cur mihi non ſemper dulce levamen eris ?

Ni

Ni facias id , crede mihi , tua Templa relinquam,
Aris pendebit noſtra & Arundo tuis .
Aeſtus me laedit , laedat ſi Muſca , Pulexque ,
Carmina deficiunt , deficit atque anima .
Ergo , Phoebe , tui ſit ſemper cura Poetae ,
Atque Poeta tuus ſerviet uſque Tibi .

DE PISCATORIA ARTE.

SIT qui venatu ſilvas peragrare laboret ,
Deliae & inde ſuo tempore dona ferat .
Nec deſit patrios ſtudeat qui findere campos ,
Pinguiaque in pleno condere muſta lacu .
Bellica Caſtra iuvent alios , ſtrepituſque tubarum ,
Quod mihi difficilis non placet iſte labor .
Dulce eſt inſidias moliri piſcibus hamo ,
Et trahere ad litus retibus implicitos .
Praetrepidans nuper magnas acquirere praedas ,
Audacem pello per Maris alta ratem .
Squammigeri piſces ſe ſe qua parte vibrarent
Exploro impatiens , gaudia longa fovens .
Viſus cum ſubito eſt immenſis orbibus ingens
Inſiliens Piſcis , ſubdola lina petens ;
Qui modo demiſſis ſe ſe volvebat in undis ,
Et modo ſe ſaltu proripiebat aquis .
Di Maris , exclamo , tantum deludere Piſcem
Si mihi contingat ; ſi mihi tanta foret
Praeda , inter menſas regales digna reponi ,
Quid timeam anguſtos , & ſine luce Lares ?
Hoc mihi pro veſtro concedite numine , Divi ,
Atque ego Neptuno debita dona feram .

Vix

Vix ea fatus eram, ſubito cum murmure ſenſi,
  Circuitu & longo retia contremere.
Protinus adcurro, iucundaque contraho lina,
  Quae pro tam magno pondere vix potui.
Deduxi ſenſim depreſſas Aequore caſſes,
  Atque Acipenſer erat retibus implicitus.
Clamito: io, Socii, quoniam fortuna ſecundat;
  Viribus adſitis, ferte mihi auxilium.
Vocibus his adſunt plures, atque enſe ferimus
  Principio Piſcem, qui ſaliebat aquis.
Hinc ſimul ingentem conati tollere molem,
  Solliciti patrios pergimus ire Lares.
Limen ut attigimus, praeſto eſt Domus illico tota,
  Et viſu exultant, & pueri, & mulier.
Piſcem exentero; pro, quam immania viſcera! telo
  Scindo carnem; pro, quam caro pinguis erat!
Ipſe Forum pergo, liceorque trementia membra;
  Et gravis aere mihi dextra domus rediit.
Ex illo nunquam ſcopulos, & litora liqui,
  Quin hamo ſtruerem, & retibus inſidias.
Interdum, mihi fauſta, Diis Maris, atque Deabus
  Dona fero, atque haec eſt vita beata mihi.
O, tibi ſi libeat mecum hanc tradúcere vitam,
  Otia, qui ducis vilia, Amice, Maris!
Urbs tibi ſola placet, gaudes rumoribus Urbis,
  Quo labor aſſiduus torquet in arte manus.
Atra lues morum, & faſtus dominatur in Urbe,
  Et mala ſeditio civica corda premit.
Sic fit; ſorte ſua vivit ſibi quiſque beatus;
  Te tenet Urbis amor, me Maris ardor habet.

D.

D. LUDOVICO LORENZI

Sacro Oratoris munere

TUSCULANI PERFUNCTO.

QUod potis eloquio es,quod mores conteris atros,
Quodque meae Patriae ſis, Ludovice, decus,
Aut Epigramma tibi ut procudam, aut carmen; Amicus
Semper pro noſtra quaerit amicitia.
Sponte quidem facerem quod me exhortatur Amicus;
Diſtrahor at curis pluribus ipſe meis.
Sed, ne praeteream iucundi pignus amoris,
Et Patriae ſervem debita iura meae;
Et pateat virtus per me quoque tanta per Orbem,
In veſtrum, Aonides, me ſinite ire Nemus;
Et lauros carpam, queis cingam tempora ſertis,
Atque hederas, capiti proemia digna dabo.
Tuſculanorum reboant confinia plauſu,
Miraturque ſuum Terra beata Virum,
Cuius ab eloquio, divino percita ſenſu,
Edidicit ſanctae currere legis iter.
Impietas Labefacta iacet, triſtiſque libido,
Ipſius & regnat, voce docente, Fides,
Pulcra fides animis, noſtro intermortua ſaeclo,
Pro qua bacchatur libera mens hominum.
Sic olim exuviis Paulus celebrandus opimis,
Formavit mores, magna Corinthe, tuos.
Te monſtrante viam, ſuperas ſuſpirat ad Aedes,
Quae prius eſt miſeras, turba ſequuta vices.

De-

Deserit antiquae tandem vestigia culpae ,
Quem mox obruerat somnus , & atra quies .
Non alio Vates Iordani ad litoris oras
Explicuere sono mystica verba Dei .
Barnaban haud secus a culpis deterruit Orbem ,
Demulsitque animos legis amore feros .
Felix o Tellus , Coeli rorata liquore ,
Et docta eloquio , mi Ludovice , tuo .
Non hic Gelboe sterilis praesentia damna ;
Irritus haud fuerit Rustici in arva labor .
Flavum semen agris , dulces in Collibus uvae ,
Producet fructus semper Oliva virens .
Sic o sic Tellus , virtus tibi sedula cordi ,
Atque tui semper Numinis esto memor .

AD AMICUM

PRO PUELLA NUBILI

Incerti Auctoris .

SIquà Puellarum pietas tibi , care Sodalis ;
Siquis amicitiae cultus , amorque mei est ;
Quam tibi commendo , tenerae succurre Puellae ,
Nubere quae vellet , nec sine dote potest .
Ista Puella tua digna est pietate , videri
Digna etiam certe posset amore tuo .
Primum formosa est (iuranti crede Poetae)
Ni formosa foret , non mihi cara foret .
Non dicam Veneri similem , sed Lesbia quantum ,
Quantum Laura fuit , pulcra Puella mea est .
Divini mihi Petrarchae , nitidique Catulli
Sae-

Saepius invidiam carmina iure movent;
Sed, neque Petrarchae, nec dulcis Amica Catulli
Invidiam posset iure movere mihi.
Nec quia formosa est, ideo minus Illa pudica est.
Haec est iuncta sacrae forma pudicitiae.
Non Illi fastus; roseumque superbia vultum
Non sequitur; crescit simplicitate decor.
Formosam, quicunque vident, Illam esse fatentur,
Mirum! formosam se tamen una negat.
Ista tribus lustris unum vix addidit annum:
Haec forma, haec aetas quam foret apta Viro!
Apta Viro foret haec aetas, haec forma, sed obstat,
Obstat crudelis, diraque pauperies.
Iam cecinit Vates. Dos est sua forma Puellis,
Verum dos prisco tempore forma fuit.
In pretio pretium nunc est; sine dote, Marito
Forma caret; moechis non tamen illa caret.
Haec quoque, si vellet, sibi mille pararet Amantes;
Mille petunt Ipsam, circumeuntque Proci.
Sed quoscunque Procos, quoscunque repellit Amãtes,
Negligit Illa viros mille, Virumque petit.
At miseranda Viro caret, heu! semperque carebit,
Accedat nisi dos, unde paretur hymen.
Haec igitur forma, haec aetas innupta peribit,
Nec tenerum florem qui legat, ullus erit?
An dabitur talem latroni carpere florem?
Di, quaeso, tantum, Di, prohibete nefas.
Casta Puella quidem, sed res est plena pericli
Forma, & paupertas: Di, prohibete nefas.
Tuque nefas tantum prohibeto, care Sodalis,
Casibus & moestae Virginis affer opem.

Allo-

Alloquere , ac nummos pro paupere posce Puella
Adriacos Patres , Adriacasque Nurus .
Tu faciles aditus , tu mollia tempora nosti ;
Te Matrona potens , te pius audit Eques .
Audiet, & pulcra pro Virgine quisque precantem ;
Ipse Deus Venetis cerea corda dedit .
Sunt fortes Veneti , & pleni virtutis in hostes ,
Nec minus in Miseros & pietatis habent .
Ipse Deus tenerum finxit tibi pectus , Amice ,
Et mihi cor tenerum praebuit ipse Deus .
Crede , (fatebor enim) si fulvo attollerer auro ,
Si mea congestas Arca foveret opes ;
Aut ego coniugio stabili mihi iungere vellem
Hanc , quae regali digna iacere toro est .
Aut illi Sponsum numerata dote pararem ,
Si nollet thalamo forte iacere meo .
Sed , nec Eam dotare miser , nec ducere possum ;
Est Virgo pauper , sum quoque pauper ego .
Est Latia , est Hetrusca Chelys mea tota supellex ,
Nil quod det Vates , carmina praeter , habet .
Carmina sed tenerae nolunt pro dote Puellae ,
Nec pro dote volunt carmina nostra Viri .
Quid faciam? te , Care , precor , te , dulcis Amice ,
Tu pro formosa Virgine funde preces .
Flectat pauperies , flectat te mollior aetas ,
Et forma , & plus quam forma , pudicitia .
Accedit quod cara mihi est , quod pura voluptas
Manat , & insontes hinc mihi deliciae .
Haec nostra est Erato, haec nostra est dulcissima Clio,
Denique pro Musis haec mihi sola novem .
Si tibi sum cordi , sit cordi nostra Puella ,
Cura sit Illius , sit tibi cura mei .

ERRATA	CORRIGE.
P. XV ; amica fedes	, amicis
P. XXI dulcior en	ecce
P. XXI in hortulo decora femper	femper in hortulo decora
P. XXII ; aeneis	ahenis
P. XXIV Amo te , &	Amo Te ; ufque &
P. XXXII Qui feci ,	Feci :
P. XXXII ut erat	ut ferat
P. XLIV inftans	inftas
P. L maeret	moeret



Errata

Pagina		
XXIV	dulcedine	* dulcitudine
XVIII	nil magis oratumem	* nil quod acquers
XXXVII	sustinuera	* suscepiuere
XL	omnia	* omina
XL	Generi	* Geniti
XXXVII	[illegible]la	* oscula
XXXVII	consiliis	* conciliis
XX[illegible]	tuos sales	* sales

6 6. 150